

illorum independenter ab altero, posse virtute illius virtutis illorum cum quavis alia persona non impedita contrahere: & durante causa, si dispensatio non sit expressa ad vincum matrimonium, posse eo soluto ad aliud transire. Vt si quis illorum allegaret se stimulis carnis agitari. Quia tunc est duplex omnino diversa dispensatio: & neutra ab alia pedit. Secus si causa allegata versaretur specialiter inter hos. Vt si allegarent se mutuo inter se concubinato irretitos esse: vel feminam illam ab hoc infamam. Tunc enim ad solum matrimonium inter illos incedendum, dispensatum censetur.

15 Ad argumenta nu. 6. proposita respondetur. Ad primum, constat ex dictis num. 11. Ad secundum, dicitur limitari eam regulam, nisi post primum adum maneat eadem dispositionis ratio. Vt bene docet Tiraqueillus ead. l. boues. §. hoc sermone, limitatione 10. num. 1. Præterea intelligitur, quando non tollitur obsecrati: ut si esset mera nubendi licentia: secus quando tollitur. Vt in hac dispensatione contingit.

16 **Q**uestio posterior. An dispensatio extendatur, ita ut proficiat extra dispensantis territorium: ut si Episcopus dispenseret cum subdito in voto non nubendi, possit ille virtute illius dispensationis, ubiq; terrarum ad nuptias transire, absq; voti violatione? Et videtur pars negans. Quia legitimatio plena, & omnimoda facta per Pontificem, nullatenus extenditur quoad bona temporalia, ut vim habeat extra loca temporalia Pontificis iurisdictioni subiecta. Vt tradit ferè omnes: eo quod temporalis Papæ iurisdictione ad id requisita, non excedat eorū locorum limites. Ergo similiter cum Episcopi potestas non excedat suæ diocesis limites, eius dispensatio non ultra extenditur. Et confirmatur, quia dispensatio Episcopi ad plura beneficia, quando ad id dispensare potest, non prodest ultra eius diocesis: sed is Episcopus dispensare debet, in cuius diocesi est beneficium est. Vt docent Glossa cap. dudum, el. 2. verb. intitolatam, sine, de elect. & cap. cum ex eo verb. subiectas, eodem tit. in 6. vbi Dominicus num. 7. velf. nota istam. Francus num. 3. Chassanæus in consuet. Burgundie, rubrica 9. nu. 13. & sequentibus: & ibi eius Additionator post num. 16. Rebuffus cap. extirpandæ. §. qui verd, art. 5. notabili 20. de præbend. atq; concludit tunc esse dispensationem non extendi extra dispensantis territorium: atq;

id verum esse etiam quando per dispensationem tollitur persona obsecrati. Per doctorem Bartoli. l. q. 7. a num. 40. C. de summa Trinitate, vbi post longam disputationem concludit num. 41. vers. ad contraria respondeo, sic distinguens. At si loquitur circa solemnitatem alicuius actus, tollendo solemnitatis iure requisita obsecrati: & tunc actus gestus in eo loco est eius loci solemnitate, habebit effectum ubiq;. l. fin. C. de testam. aut tollitur obsecrati incapacitatis persona, quia, nimirum, persona iure incapax efficitur capax. Et hoc casus dispensatio non habet effectum extra territorium. Cum ergo sublato matrimonij impedimento per dispensationem, tollatur incapacitatis persona ad illud validè, aut saltem licitè incedendum: non erit integrum ea vi extra dispensationem concedentis discessim.

17 **A**t tenendum est, eam dispensationem ubiq; prodesse. Ducor, quia (vt notant Dominicus, Francus, Chassanæus num. præcedenti allegati, Decius consil. 207. plehrū est dubium, a num. 2. volum. 2. Probus addit ad Monachum cap. officij, num. 17. 18. de offic. legati in 6.) quando dispensatur cum aliquo circa aliquam rem, sic distinguendum est. Aut impedimentum consistit ex parte persone cum qua dispensatur: aut ex parte rei ipsius in qua dispensandum est. Quando ex parte persone, tunc dispensatio proprii prelati persona habentis impedimentum, porrigitur in quemcumq; locum: secus est, quando probentur ex parte ipsius. Tunc enim astat territorij dispensantis. Ratio discriminis est. Quia in priori casu tollitur persona incapacitas ac proinde cum ea nullo impedimento affecta maneat, nil obstat ut ubiq; virtute eius dispensationis capax sit. At in posteriori, cum res illa ex qua impeditur consentit, non sit subiecta prelati dispensantis, ut potè, quæ extra eius diocesis sita est: eius dispensatio non poterit impedimentum se tenes ex parte illius rei auferre. At in presenti casu impedimentum ad matrimonium incedendum proventit ex parte persone. Ergo dispensatio proprii prelati in illo prodest ubiq; atq; ita non obstat simile numer. præcedenti allegati, de dispensatione circa beneficiorum pluralitatem, quæ in diversis diocesis sita sunt. Quia Doctores ibi allegati asserentes non posse proprium Episcopum, sed eum quod dispensaturum in cuius diocesi situm est

beneficium, innituntur eo quod secundum beneficium est illud, quod inducit impedimentum, & ita est dispensaturus Episcopus locum quo est secundum beneficium. At Decius, & Probus proxime allegati, Rebuffus in concordatis, vbi de forma mandati Apostolici, super verb. dispensationum, a vers. quarto, an dispensatus per legatum, dum dicunt posse Episcopum proprium dispensare in ea pluralitate, ducuntur eo quod ex iustitiam impedimentum non oriri ex parte beneficii, sed ex parte persone. Cum enim habeat unum beneficium, non est ad aliud priori retento idonea. c. is cui, de præb. in 6. Et ideo hanc sententiam sustinet Innocentius cap. venerabilem. num. 3. qui filij sint legit. & ibi Ioann. Andr. nu. 6. Cardin. nu. 10. quest. 2. vbi tradentes de illegitimo cum quo Episcopus dispensat ad ordinem minores, & beneficium simplex, dicitur eam dispensationem ubiq; prodesse. Quia in nullus est præiudicium. At secus (ajunt Innocentius ibi. num. 2. & Ioann. Andr. num. 6.) de legitimatione ad bona temporalia. Quia

id consistit in tertij damnum. Idem tenet loquens de dispensatione Episcopi cum suo subdito ad edenda iocinia, & carnes, dicens ubiq; prodesse. Natur. lib. 5. consil. tit. de privilegijs, in prima editione, consil. 15. fin. in 2. consil. 6. fin. Idem tenet alios referens Bolognetus. l. fin. nu. 36. ff. de iurisdic. omn. iudicium.

Ad argumenta num. 16. proposita respondetur. Ad primum dicitur id euenire ob tertij præiudicium: vt ex Innocentio, & Ioanne And. diximus num. præcedenti. Vel secundum dicitur, id non esse impedimentum solius persone, sed etiam rei. Quia successio in bona temporalia est merenda legibus regni, in quo succedunt leges regni, in quibus celebrantur. Et quia Pontifex nequit his legibus, quæ iuste sunt, derogare, ideo eius legitimitas quoad bona temporalia non prodest extra loca illi temporaliter subiecta. At in nostro casu proventit impedimentum ex parte persone. Ad confirmationem constat ex dictis num. præcedenti.

DISPUTATIO TRIGESIMA SECUNDA.

An si impetrans dispensationem illi renunciet, possit amplius ea prodesse?

SUMMARIVM.

Proponitur probantia ubi semel renunciat est dispensatio, eam non posse prodesse. nu. 1. Prodest dispensatio, dum superior non acceptat renunciationem. nu. 2. Quid, si sit dispensatio in voto, vel iuramento: & quando hæc commutata sunt, & votens relicta commutatione semel acceptata, legit iterum votum: an possit ad commutationem redire? nu. 3. An sufficiat renunciationem dispensationis acceptari ab ordinario, vel confessore, cui eius exequutio committitur? nu. 4. An vires amittat dispensatio, si impetrans illa cancellat, vel condonat? nu. 5. An si dispensatione obtenta, & duo consanguinei contrahant, alter vel vterq; ad alias nuptias transierit: vel impetret dispensationem ad contrahendam cum alio consanguineo, pereat prima dispensatio? nu. 6. Satisfit argumentis. nu. 7.

Videtur pars affirmans impetrantem, qui semel dispensationis renunciat, non posse

amplius mutata voluntate dispensatione virtutem suam ex sequentibus. Primo, quia quod semel placuit, amplius displicere non potest: regula quod semel 25. de regulis iuris, in 6. Secundo, nam is quem penitet, iurij suo renunciat, ac contradicit, non auditur amplius illud allegans, c. prohibentur. 2. q. 1. cap. de his, de accusatione, cap. quam periculo sum. 7. q. 1. vbi Glossa alios textus concordantes allegans, verb. quam periculosum, inde inferre renunciantem iuri suo id repetere non posse. Ex eo enim quod quis impugnavit, frum confecti qui non debet regula ex eo, de regul. iuris, in 6. Tertio, quia quod semel ab aliquo repudiatum est, redintegrari ab eodem non potest. l. si. C. de conditionibus insertis. Et notat ibi Baldus num. 3. notabili 4. Tandem, quia privilegium amittitur non ubi, quasi is se renuntiatio tacita. Ergo a fortiori renuntiatione expressa.

Cæterum tenendum est, quamdiu superior non acceptaverit illam privilegij, vel dispensationis renunciationem, sed in eadē

voluntate perfliterit, quod praesumitur cap. maiores, in fine, de baptis. l. eum, qui, ff. de probat. posse eum cui conceditur, non oblitante quod impetrationi contradixerit, vel post consecutionem renuntiaverit, ut mutata voluntate ea dispensatione, vel privilegio. Probatur ex cap. literis, de procur. in 6. ibi, *Licet u. qui procurator constituitur ab absente, dixerit presentatum sibi suscipere nolle mandatum: hoc tamen nequaquam obstat, quamdiu constitutus in eadem perfliterit voluntate, ipsum accepit, ac poterit, quando eum placuerit.* Per quem textum Glossa finalis ibi, Ioan. Andreas, Archidiaconus, Dominicus, & Francus ibi sine, Anchar. ad finem, oppositione penultima, dicit electum renuente consecrare electioni, posse mutata voluntate eandem acceptare, electoribus in priori voluntate perflitentibus. Quod idem de iudice delegato, & arbitro, qui semel arbitrium, & delegationem repudiarunt, docent Glossa, & iidem Doctores ibi. Secundo, ex doctrina quam amplectuntur Glossa penultima c. si tibi absenti, de praebend. in 6. & ibi Ioan. Andr. sine, Anchar. num. 3. notabili 8. Dominicus nu. 16. Francus nu. 12. ubi tradunt dissentientem collationi beneficii sibi absenti facta, posse se integra mutare voluntatem, & consentire permanenti conferenti in eadem voluntate. Quod imitant Dominicus, & Francus, nisi dissentium illum acceptet conferens. Quia tunc non censetur in eadem voluntate permanere. Tertio, ex l. sicut 8. §. si voluntate ff. quibus modis pignus, vel hypotheca, ex quo texto constat creditorem ex cuius consensu pignus venditum est, censi remittere pignus, si tamen iam venerit, atque ante venditionem posse mutare voluntatem. Quarto, quia vis privilegii, & dispensationis pendet à voluntate superioris concedentis, & acceptatione eius cui conceditur. Ergo quamdiu voluntas concedentis manet, quod renunciationem nondum acceptavit, potest is cui conceditur, non oblitante priori contradidisse acceptare. Et confirmatur, quia omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur. Cum ergo ad privilegii acquisitionem exigatur concedentis, & eius cui conceditur, voluntas: similiter ad eius destructionem utraq; desiderabitur. Et confirmatur amplius, quia nil ita duorum consensum, desiderat, ac contractus matrimonii. Et tamen quando alter eorum verè consensit, alter autem fidei, factus est ut matrimonium id coalescat, si al-

tero in priori consensu permanente is factus consentiat (ut late probavi lib. 2. disp. 32.) Ergo ut privilegium cui quisquam renuntiavit, coalescat, factus est nova renuntiantis voluntas, superiori manente in pristina voluntate, ut potè, qui nondum renuntiationem accepit. Et ita hanc sententiam tenet Loazes de matrimonio Regis Angliae, dubio 12. num. 28.

Hoc tamen intelligerem, nisi dispensatio esset circa votum, vel iuramentum. Nam si dispensatione semel perfectè concessa, is cui conceditur renunciet illi etiam actu solo interno, non posset amplius ea uti sed teneretur ad prius votum, vel iuramentum. Ratio huius est, quia caetera vincula non potest sibi imponere is, cum quo in eis dispensatum est, nisi accedat superioris auctoritas. Et ideo quatenus ipse nolit uti dispensatione iam semel acceptata, vel nolit acceptare, potest superiori manente in pristina voluntate resilire. At quatenus semel dispensatio concessa sit in voto, vel iuramento, potest sua sola interna voluntate his vinculis iterum obligari Deo. Quod facit, quando deliberata voluntate eligi renuntiare dispensationi: nullus enim alius est sensus huius renuntiationis, nisi volo redire ad priorem voti obligationem, seu illo voto, quod per dispensationem extinctum erat, denuo obligari: ac perinde est, ac si tunc denuo id voueret. At dispensatio prior non concessa est nisi ad votum ante illam emissum. Et ideo non erit iam huic renuntianti integrum ea dispensatione. Dixi autem quando perfectè concessa est dispensatio. Quia si non sit perfectè concessa, qualis est commissio, quae solet à Pontifice expediri ut ordinarius dispense in voto castitatis vel religionis: vel à penitentiario, ut confessor in eis dispense, & si is cum quo dispensandum est, ei privilegio renuntiet, potest mutare voluntate eo uti, antequam superior renunciationem acceptet. Quia est privilegium quoddam ut cum hoc dispensetur in eo voto, & licet saepe multiplicetur id votum, ante quam ordinarius, vel confessor utens ea commissione dispense, non est nova obligatio, sed eadem repetita, & ideo virtute eius commissionis potest in eo dispensari. Ea autem commissio ut potè, quae non à sola mea voluntate pendet, non potest sola mea renuntiatione extinguere, ante quam superior illam acceptet. Ex quo fit, licet integrum sit vouenti cuius votum commutatum est, residua commuta-

tionem eligere ad prius votum redire (ut diximus disp. 9. num. 21.) at ubi elegit votum prius, non esse ei integrum iterum eligere commutationem illam. Quia eum iam priori voto ligatus sit, non potest illud propria auctoritate commutare: nisi votum illud esset ex non referuatis, atque commutatio prius facta esset in rem meliorem, aut euidenter aequalè. Tunc enim posset ad priorem commutationem redire. Quia verior sententia habet (ut tradit in materia de voto) posse quæpiã propria auctoritate commutare votum in melius, aut euidenter aequalè.

Sed dubitari poterit, quisnam sit superior renuntiationem gratiæ acceptaturus, ut deinde non possit? Posset quis existimare esse ordinariũ, aut confessorem, cui Pontifex, vel penitentiarius committunt dispensationis executionem cognita precum veritate. Quia quatenus dispensatio manet à Sede Apostolica, executio per hos fit. Itè quia potest Episcopus beneficii renuntiationem acceptare, quatenus eius collatio sit Pontificis. Quia hæc possunt ad diversos superiores pertinere. Ut tradunt Glossa elem. unica verb. conferantur, statim in principio, de rerum permutat. & ibi Imola num. 9. Nauar. cap. accepta, oppositione 7. num. 30. de restit. spoliar. At existimo solum eum superiorem à quo gratia hæc promanat, posse hanc renuntiationem acceptare. Quia valor eius gratiæ ab illius voluntate pendet. Ergo quamdiu ille in eadem voluntate perfliterit, potest is cui conceditur resilire, & acceptare. Hoc enim solum ad plenum gratiæ valorem desideratur. Secundo, quia cum potestas illius ordinarij, vel confessoris, limitata sit ad cognoscendum de veritate precum, & ea inuenta exequendum, non possunt renuntiationem acceptare. Ne suæ potestatis limites excedant. Tandem quia is cui ex privilegio, vel consuetudine incumbit conferre beneficium, nequit illius renuntiationem, aut renuntiationem acceptare: sed is solus cui iure ordinario collatio competit. Ut citato Federico docet Rebuffus praxi benefice, ubi de forma vicariatus num. 108. Cum ergo ordinario, vel confessori, ex solo illo dispensationis rescripto competat

examinare preces, & dispensationem exequi, nullum ius habebunt admittendæ renuntiationis dispensationis, ut ex tunc viribus destituta maneat.

Hinc deducitur, non destitui viribus dispensationem, et si is cui conceditur, literas canceller, concedat ve. Quia hoc solum illius renuntiationem importat, quæ dum non est à superiori acceptata, minimè vim dispensationis eneruat. Deinde quia esto ad dispensationis valorem expidiri literas desideraretur: at ubi semel literis expeditis concessa est, non pendet eius firmitas à literarum consecratione.

Secundo deducitur, quid dicendum sit, quando dispensatione obiecta ut inter duos consanguineos matrimonium inearat, alter, vel vterq; alijs nuptijs copulatur, relictis illis ad quas dispensatio obtenta est: an possint vidui effecti, iungi inter se matrimonio virtute prioris dispensationis? Partem negantem suadent, quæ dixi lib. præcedenti, disputat. 42. num. 8. Sed verius est eam adhuc valere. Quod probant ea, quæ eadem disputat. 42. numer. 9. atulli. Cum enim semel ablatum sit id consanguinitatis impedimentum, & illi habiles effecti sint ratione dispensationis præterita, non est cur ratione sequentis matrimonij impedimentum illud reuiuiscat. Nec obstat tacita ea renuntiatio per trahitum ad alias nuptias inducitur. Quod ea non fuerit à concedente acceptata. Imò idem sentio, quatenus impedimentum nondum sit ablatum: eò quod ordinarius, vel confessor cui dispensationis executio est commissio, nondum illam sint executi. Quia cum tacita illa renuntiatio non sit acceptata, non perijt facultas illa ad exequendam dispensationem. Quando verò alia dispensatio ad posterius matrimonium impetrata est, an prior euanescat? dixi disputat. 22. num. 19.

Ad argumenta numer. 1. proposita respondetur ea omnia præter vltimum procedere, quando renuntiatio est perfectæ, ac consummata: eò quod à superiore sit acceptata. Ad vltimum dicit per non vsum legitimè præscriptum amitti privilegium, non quasi per renuntiationem, sed per legitimam præscriptionem iure inducitur.

DISP. TRIGESIMATERTIA.

An privilegium seu dispensatio semel concessa, possint reuocari: & ita reuocatione extinguantur?

SYMMARIVM.

Priuilegium gratis concessum à Principe, potest ab his causa reuocari. num. 1.
 Quid si per id sit dominium aliquod acquisitum? num. 2.
 An priuilegium in contractum transfertur, potest ab his causa reuocari. & qua sit iusta causa. & an presumatur ea? num. 3.
 An priuilegium causa remunerationis concessum, potest ab his causa reuocari? num. 4.
 An priuilegium non subito concessum, potest reuocari? num. 5.
 An si Princeps suam iurisdictionem concedat, potest reuocari? num. 6.
 An superior delegans facultatem aliquam potest reuocare ab his causa. & quid de superiore ipse delegatus? num. 7.
 An reuocatio generalis sufficiat ad reuocandum priuilegium per modum contractus concessum? num. 8.
 An Princeps ex iusta causa reuocans priuilegium per modum contractus concessum, reuocatur ad aliquam compensationem? num. 9.
 An priuilegia bulla suspendantur per iubileum, qui vigesimo quinto quoque anno solet concedi? num. 10.
 An dispensatio concessa à superiore circa eius legem, potest ab his causa reuocari? num. 11.
 Quid de dispensatione concessa ab inferiori in lege superioris? num. 12.
 Quid de dispensatione concessa à Pontifice pro foro externo? num. 13.
 Quid de concessa à penitentiario pro foro conscientiae? num. 14.

DE hac re latissime Felinus & Doctores iuris Pontificij cap. nouit, de iudic. & Doctores iuris Cæsarei. I. quod semel. ff. de decretis ab ordine. & l. qui se patris. C. de bono. posses. vnde liberi. Bolognetus toto consil. 3. Matienzo lib. 5. Recopil. tit. 10. l. 6. tota glossa 1. apud quos potest latissime questio hæc videri. Et tantum aliquas conclusiones breuiter statuit. Prima conclusio. Quando priuilegium est omnino gratis à Principe concessum, potest ab his causa ab eo, eiusve successore reuocari. Quod ea concessio à mera eius voluntate pendeat. Atque ita multis citatis docent Felinus cap. nouit num. 8. & 9. 10. de iudic. Matienzo d. gloss. 1. num. 5.

Temperanda tamen est, nisi per priuilegium illud sit acquisitum aliquod de iure gentium: nempe, dominium alicuius rei. Tunc enim cum sit iam ius questum, ne-

quit absque causa reuocari. Vt si Princeps castrum alicui donarit. Sic Felinus eodem cap. nouit num. 8. Matienzo alios referens eadem glossa 1. num. 6.

Secunda conclusio. Quando priuilegium transit in contractum, nequit ab his iusta causa reuocari per Principem, eiusve successorem: at existenti iusta causa potest. Vt si pretio recepto priuilegium cõcedat, vel ob obsequium aliquod exhibitum, vel in posterum exhibendum ab eo cui priuilegium conceditur. Ratio est, quod Princeps suo contractu astringatur, ac per illum sit ius plene acquisitum tertio. At iuri alteri acquisito nequit ab his causa legitima praedicari. Et ita docent Felinus cap. nouit num. 8. de iudic. Alexand. toto consil. 101. & maxime nu. 5. volum. 1. Ruinus consil. 130. num. 19. volum. 5. Iason. l. Barbarius numer. 34. ff. de offic. prator. Bolognetus consil. 3. num. 16. Nauar. §. in Leuitico, notabili 28. num. 7. Antonij Gabrielis tomo 3. communium, lib. 3. tit. de iure questito, conclusio 6. nu. 10. & 19. Burgos de Paz in proemio legum Tauri num. 336. Antonij Cucus lib. 1. institutionem maiorum tit. 6. num. 110. Matienzo lib. 5. Recopil. tit. 10. l. 9. glossa 1. num. 9. & 10. & multi alij quos hi referunt. Hanc autem iustam causam debere esse, quæ publicam utilitatem respiciat, probat ibi Matienzo nu. 11. & ea non præsumi in Principe probat ibidem num. 16. vbi & alios refert.

Hinc inferitur, non posse Principem ab his causa iusta reuocare priuilegium in meritum remunerationem alicui concessum, quantum sola gratitudinis lege remuneratio debita esset. Quod non gratis, sed per modum contractus censetur concessum. Sic Felinus cap. nouit num. 12. de iudic. quantum num. 8. sine allegato Aretino dubitarit.

Secundo inferitur, priuilegium non subito concessum, & ab eo acceptatum, non posse ab his causa reuocari. Quia videtur transire in contractum. Sic Felinus eo dem cap. nouit num. 8. & 10. Matienzo eadem glossa 1. num. 4.

Est tamen conclusio limitanda. Nisi Princeps suam iurisdictionem cõcesserit: tunc enim potest sine causa reuocare. Quia in concessione intelligitur semper excepta superioris auctoritas. Sic Baldus. l. qui se patris num. 24. C. de bon. posses. vnde liberi. Felinus eo cap. nouit nu. 8. vers. quod tamen limita, & nu. 9. limitatione. 1. Per-

grinus

grinus de iure fisci, lib. 1. tit. 3. num. 31.

Hinc optime dicit Suarez 4. tom. in 3. p. disput. 26. sectione 3. num. 3. superior est qui delegauit facultate, posse suo arbitrio ab his causa reuocare, non solum valide, sed etiam licite per se loquendo. Quia utriusque iure suo, & quasi re propria. Subdit tamen (vt bene) superiorem delegatis non posse ab his causa reuocare. Quod iniuria irogetur ipsi deleganti, priuando eum ab his causa iure delegandi, quod ex sua iurisdictione ordinaria habet. Et adeo (ait) manifeste iniusta reuocatio esse posset, vt videtur nulla. Sicut si superior vellet iniuste, & sine vlla causa subdito priuare munere suo, nil valide efficeret.

Duo tamen obseruanda sunt. Prius est, non sufficere reuocationem generalem ad censendum reuocatum priuilegium per modum contractus concessum: sed opus est expressa mentionem saltem generali eius inuoluntati concessi per modum contractus. Vt allegato Cardinali tenet Suarez allegatione 9. nu. 9. Azbedo lib. 1. Recopil. tit. 3. l. 1. 4. num. 42. Et ratio est, quia non presumitur reuocandi voluntas, quando ea tertius aufert. Vt late probat Bolognetus consil. 2. num. 37.

Posterius est, teneri Principem ex iniusta causa reuocantem priuilegium, quod in contractum transit, recompensationem facere dato æquivalenti. Vt multis citatis probat Bolognetus consil. 3. nu. 16. Matienzo lib. 5. Recopil. tit. 10. l. 6. gloss. 1. num. 13. & est rextus expressus in hoc regno. l. 2. sine. tit. 1. p. 2. & ibi docet Greg. Lopez verb. buen cambio.

Atque hinc defendi anno 1600. non suspendi bullam Cruciatam anno iubilei, qui olim centesimo quoque anno concedi solbat, nunc autem vigesimo quoque quinto anno. Cuius contrarium supponit Nauar. §. in Leuitico, notabili 33. num. 3. vers. personis. Quamuis ipsemet notabili 28. nu. 20. fateatur non suspendi per extrauagantem Sixti III. in qua is iubileus olim concedebatur. Et ratio discriminis est, quod ea extrauagans soli communitati facultates concessas suspēdat. Cum tamen bulla cruciata singularibus personis cõcedatur. Vt bene docet Manuel. q. regularibus, tomo 1. q. 61. art. 14. vers. tertio. At Greg. XIII. & Clemens VIII. qui duos proximos huiusmodi iubileos concessere, suspenderunt quoque facultates personis singularibus concessas. Et addidit Clemens VIII. in iubileo anni

1600. se suspendere facultates etiã ad instantiam regum quomodocumque; concessas, & ex quibuscumque causis. Et ita suspendi tenet etiã Ludouic. Lopez tomo 2. instrum. in expositione bullæ Cruciatæ pag. 850. col. 1. vers. 2. adde etiam. Nihilominus defendi non suspendi: & nunc etiam idem sequor. Quod etiam docent Hénriquez lib. 7. de indulg. cap. 2. 1. num. 3. Manuel in expositione Cruciatæ. §. 12. num. 15. Et postea idem Clemens VIII. explicuit mentem suam non fuisse eam suspendere. Ductusque fuit, quia priuilegia bullæ cõceduntur per modum contractus. Vt constat ex his verbis, *Porque daio tanta limosna, os concedo. Nec potest dici modica elemosyna, quæ pro bulla contribuitur. Nam licet vnusquisque modicam tribuat, at tota summa, quæ quotannis pro bullæ elemosyna contribuitur, excedit octingenta aureorum millia. In reuocatione autem neuter Pontifex mentionem fecit facultatum per modum contractus concessarum. Nec elemosynam contributam reddi iussit. Cum tamen vtunquodque esse necessarium probauerim duplici n. præcedenti ad priuilegij per modum contractus concessi reuocationem. Præterea quia cum Pontifex concedat Cruciatam octavo quoque anno, vt singulis illius spatij annis publicetur, noritque; quod ex illis anno incidere iubileum plenissimum: censendam est mentem eius non fuisse suspendere bullam. Quippe alias frustra esset concessio pro illo anno saltem.*

Ex dictis deducitur descendendo specialiter ad dispensationes, quando superior dispensat in lege sua cum aliquo, nulla compositione facta, sed omnino gratis, post se dispensationem valide ab ipso met reuocari ab his causa. Quia ea dispensatio est quasi priuilegium concessum circa rem ipsius superioris propriam: & sicut posset denuo subditum lege illa obligare, ita potest reuocare dispensationem, per quam à lege eximitur. Dixi autem valide, & non licite. Quia cum ex causa dispensat, nec res sint mutata, (vt suppono,) abusus potestatis spiritualis dispensandi in prælato esset, abs re, & ab his causa dispensationem subito concessam reuocare. Non tamen esset lethalis culpa, nisi casu quod dispensatio illa ita necessaria esset ad bonum subditi, vt prælatus teneretur sub lethali illam concedere, quod saluti eius spirituali confuleret.

Secundo

12 Secundo inferitur, dispensationem in lege superius factam per inferiorem casu quo potest, non posse ab ipso inferiori abiq; legitima causa reuocari: posse tamen ex legitima causa. Ratio prioris partis est, quia per eam dispensationem absolutum subditum à vinculo illius legis, & independentem à reuocatione voluntaria. At nequit prelatum ille inferior eam legem iterum imponere. Ratio autem posterioris partis est, quia sicut duratio illius dispensationis pendet à duratione causae, ita ut ea cessante cesset: ita etiam pendet à reuocatione rationi consentanea facta à concedenti, ob legitimam causam superuenientem. Et pro hac parte sunt Glossa e. cum ex eo verb. septennium, de elect. in 6. & ibi Archid. paulo post principium verb. septennium. Dominicus num. 8. Francus num. 4. Hostien. summa tit. de clerici. non resid. nu. vltimo. Oldradus cō. fil. 203. dubio 3. nu. 3. Romanus singulari 517. an dispensatio, vbi docent dispensationem ab Episcopo concessam alicui ad

non residendum septennio ratione studij, minimè posse ab ipso reuocari abiq; legitima causa. Et quauis non explicet minimè posse validè: id tamen credo eos sentire: idq; probat ratio à me adducta.

13 Tertiò inferitur, dispensationes in foro externo à Pontifice concessas, non posse ad libitum ab ipso reuocari, sed ex causa iusta, & tunc restituta compositione soluta per eum cum quo dispensatum est. Ratio est, quod hæc omnes dispensationes per modum contractus concedantur, soluta, nempe, compositione in Dataria Romana. In quo euentu exigi causam, ac compensationem faciendam, diximus num. 3. & 9.

14 Demum inferitur, dispensationes foro conscientie à sacra penitentiaria concessas, non posse ab ipsa abiq; causa reuocari à posse ea existenti. Quia dispensat in lege Pontificis ex ipsius commissio. In quo casu diximus num. 12. non posse abiq; causa reuocari.

DISP. TRIGESIMA QVARTA.

Qualiter intelligatur clausula dispensationum, quæ in foro conscientie circa matrimonij impedimenta expediuntur in sacra penitentia Romana?

SYMMARIVM.

1. Reponuntur clausula dispensationum in foro conscientie circa matrimonij. num. 1. 2. 3. 4. Quo qualitates exigantur in expeditione dispensationum literarum. num. 5. An sufficiat ut sit Doctor in iure Casateo. num. 6. An sufficiat ut publicè in academia doceat theologiam, aut ius canonicum. num. 7. An sit sit, ut habeat licentiatum gradum. num. 8. An sit sit, gaudere magistri privilegij iuxta sue religionis institutum. num. 9. Quid, si communitè existimetur Doctor, cum non sit, vel gradus fuit irritus ob defectum occultum, vel est indolentissimus. num. 10. Quale privilegium habeant religiosi aperiendi hæc literas, & exequendi hæc dispensationes, et si ad gradum promoti non sint? num. 11. An frustrentur valore, si aperiuntur ab eo, qui gradu caret. num. 12. An exigatur quog; ut sit is confessor ab ordinario approbatus. num. 13. Quid, si occultè fuit reuocata licentia, vel fuit

irrita: & an sit per bullam eligibilis, obrinens parochiale beneficium, cuius occultè incapax est? num. 14. An sufficiat publico academia testimonio cum approbatum esse? num. 15. Quid, si sit approbatus ab Episcopo, at cum personarum limitatione? num. 16. Quid, si approbatus ab ordinario sit valde indolentissimus? num. 17. An si vnus confessor, vel ordinarius denegat dispensationem executionem, vel dicat esse subrepticam, possit alius adire, vel ipse tenet mutare sententiam? num. 18. An sit sit quodam incontinentia periculù, etiam ex prauo habitu nascentis, ut verificetur clausula periculù incontinentie? num. 19. Clausula continens oritur scandalale, vel fore ut famina innapta maneat, qualiter verificetur? num. 20. An confessor debeat vocare testes, vel iuramentum accipere ab eo cum quo dispensandù est, vel debeat eius confessione stare, quauis ipsi contrarium constet? num. 21.

An sit occultè faciendâ hæc dispensatio, ac nullo illius testimonio datò? num. 22. An hæc dispensationes sint præsentandæ ordinario. iuxta Trid. sess. 22. cap. 5. num. 23. An si casus in dispensatione contenta sit notoria, vel ipsi confessor constet, sit examinandum? num. 24. An sit valida dispensatio, quando causa sunt veritas, ac confessor veritatis inscius eas non examinat? Refertur quædam opinio. num. 25. Explicatur sententia authorum. num. 26. Quid intelligatur per monita, & consilia opportuna, quæ iubet confessor prestare ei cum quo dispensandum: & an inducant formam, ita ut eorum omisio vitiet dispensationem? num. 27. An clausula in illegitimam dispensationem soluta addi, dummodo paterna incontinentia imitator non sit importet conditionem eadem? num. 27. An sit necessaria confessio ad hæc dispensationem? Refertur opinio. num. 28. Explicatur sententia authorum: & quid intelligatur per absolutioem à mutatione propositi, vel in solo conscientie foro. num. 29. An religiosi Societatis Iesu teneantur audire confessionem, ad expediendâ dispensationem hæc: videntur sui privilegij? & clausula in fine posita an referatur ad omnia præcedentia? num. 30. An is cum quo dispensatur in voto religionis ad matrimonium, possit abiq; eo manere in seculo: & possit vi huius dispensationis, aut in voto castitatis inire aliud matrimonium eo soluto, vel si sit irritum, aut non consummatum? Et an hoc mandatū dispensandū sit dispensatio? Remissio. num. 31. An aliquod arbitrium relinquatur confessori circa opera, & confessiones, in quæ committuntur ipsi ut committet votum castitatis, & religionis? Proponuntur probantia nil eius arbitrio relinqui. num. 32. Tenetur imponere aliquas confessiones, & aliqua alia opera. num. 33. Quæritur horum operum, & electio illorum relinquatur confessoris arbitrio. num. 34. An teneatur imponere confessionem menstruam: & possit frequentior? num. 35. An satisfiat huic confessioni menstrua si quocumque die in singulis mensibus fiat? num. 36. An confessionem aliquo mense omisam teneatur hic sequenti supplere? num. 37. An satisficiat mense quo coincidit præceptum confitendi, vnica confessione? num. 38. An satisficiat confessione ad quam ex voto, vel penitentia tenetur: possit vel confessor hanc imponere? numero 39. An possit confessor hæc ad libitum taxare: & quid in hoc arbitrio spectare debeat? num. 40.

Explicatur, quæ sint opera pietatis, religionis, & penitentiae, in quæ confessor commutare debet. num. 41. An confessor teneatur dilanare literas, & parti reddita frustrentur valore? num. 42. An parochus vel ordinarius constitutus dispensatione impetrata in foro conscientie, vel ex conscientie parti coram notario facta, possit dissimulare, ac matrimonium permittere: atq; id iniuriam sit dissolucendum detecto impedimento? Remissio. num. 43. An is cum quo sit dispensatum est, teneatur à iudice rogatus facere impedimentum: & confessio illius, ac dispensationis, teneantur id denuntiare? num. 44. Explicatur casus, in quibus potest arbitrari qualiter legitime proles. num. 45. Soboles ex matrimonio bona alterius fide inite, an censentur legitima quoad vtriq; partem: & vterq; parentum legitime gaudeat? num. 46. An proles suscepta ex matrimonio inito cum dispensatione pro solo conscientie foro, sit legitima quoad omnia, & pariter sint legitimi in eodem foro? Et quid, si post dispensationem expediendam à confessorio nota, sit nonum inito matrimonio? num. 47. An sit capax ordinum, & beneficij, & sit mixta successio in foro conscientie? num. 48. An hæc omnia habeat ea proles in foro externo? num. 49. Quid, si alter ex contrahentibus cum hæc dispensatione, fuit ignarus impedimenti? num. 50. Quid, si matrimonium non erat contractum, & legitimitur proles suscepta, qualiter intelligatur hæc legitimatio? num. 51. Quando matrimonio semel inualidè inito, dispensatur in foro conscientie ut valide inactur, ac proles suscipienda legitimitur, qualiter sit intelligenda hæc legitimatio? Et quid si commissarius Cruciatæ sic dispenseret, & contrahentes non seruent requisita ut eius dispensatio valeat? num. 52. Quid si in hoc casu legitimitur proles suscepta, & an maneat legitima non inito postea matrimonio. Remissio. num. 53. An confessor non legitimæ maneat ea proles legitima, & possit postea idem, vel alius supplere? Remissio. num. 54. Occultum impedimentum in his literis an dicatur quando non est publicum? num. 55. An dicatur impedimentum occultum, quando res est publica, non tamen scitur esse impedimentum, Et irregularitas occultæ ut in ea dispenseret Episcopus, quando delictum ex quo oritur, non est publicum ut delictum, vel nec scitur ex eo oriri irregularitatem? num. 56.